

Nr. 241.

10

AD

Zb
735

CAROLI GEHLERI MEMORIAM

(1)

DIE IV. DEC. MDCCLXXXII.

IN GYMNASIO RECOLENDAM

INVITAT

JOANNES FRIDERICVS NEVMANNVS

GYMN. CONR.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



Praemittitur


de Jo. AVG. ERNESTIO ejusque meritis, cum in humanitatis litteras, cum in
earum in scholis disciplinam:
orationis, quae Superiori anno habita est,

Particula I.

GORLICI,

EX OFFICINA FICKELSHERERIANA.

N. 240.



— — **F**uit ERNESTIVS, magnum illud nuper academiae Lipsiensis & omnis, quae quidem vere hoc nomine appellari mereatur, elegantioris doctrinae in Saxonia ornamentum & decus, fuit, inquam, ex eo hominum genere singulari & perquam raro, ex quo divina providentia, per totius seculi decursum, vix unum alterumve solet excitare, & praestantissimis naturae ingeniique bonis instruere, ut iis utatur ad perficienda de rebus humanis consilia. Nostra quidem aetas, praeter Jo. MATTHIAM GESNERVM, de quo nobis paulo post erit dicendum, paucos habuit, qui in hoc quidem genere, de quo iam loquimur, pares potuerint haberi ERNESTIO, qui eum superavit, neminem.

Sed cum nobis non iam propositum sit enarrare hominis vitam, licebit tamen, antequam dicamus de ejus meritis, ex illa delibare quaedam & imprimis commemorare, quae fuerit puerilis aetatis disciplina & iuveniliū studiorum ratio; ut inde quodammodo possit intelligi, per quos, & quibus artibus formatum fuerit praecclarum illud ingenium.

Natus est in Thuringis, anno hujus Seculi septimo, patre Jo. Christophoro, Theologiae doctore, & sacrum rerum apud Tenstadienses antistite supremo, qui hunc filium & domi curavit erudiendum a praceptoribus privatis, & postea in disciplinam tradidit scholae Tenstadiensis. In qua cum linguae Latinae, Graecae etiam atque Hebraicae didicisset elementa, post mortem patris, mature, h. e. anno fere aetatis sexto & decimo, venit in scholam Portensem, cui tum praerat FRID. GOTTHILF FREITAGIVS, magnae vir doctrinae & excellenti docendi solertia praeditus. Qui cum plura dedisset & ingenii & doctrinae specimina, illo tamen, dum viveret, libenter & imprimis gloriari solebat virtutis monumento, quod sibi peperisset in Ernestio disciplina sua conformando. Et profecto haec bonorum magistrorum in his scholis iucundissima laus est, atque laborum remuneratio exoptatissima, quam capiunt ex discipulorum gloria eorumque testimonio quammaxime sincero. Ernestius quidem, cum illam in schola Portensi quatuor annorum commorationem poneret in magna felicitatis suae parte, diceretque eam sibi fuisse quammaxime frugiferam; Saepè solebat & libenter multa praedicare, cum in scriptis (*), tum in familiari sermone de Freitagio: eum fuisse quidem acerbum & severum in explenda latini sermonis oratione, sed huic tamen severitati se debere, quod didicerit accurate scribere & pure, orationemque efficere plenam & numerosam. Imprimis dicebat, eum sibi fuisse auctorem & ducem Graecorum scri-

(*) e. g. ad Rhunkenium in narratione de Gesnero, & multis in locis.

ptorum legendorum, a quibus initio fuerit alienior, quod sibi passus erat persuaderi, eos ad consilium vitæ futuræ, h. e. ad sacri muneris officium, nihil admodum profuturos. Sed illud litterarum græcarum studium ita efficaciter sibi fuisse injectum ab illo præceptore, ut is etiam postea intemperantiam discendi coercere necesse habuerit. Nam Ernestium memini me sæpe audire, cum diceret & mihi & aliis, se non potuisse in illa schola æquo animo ferre tardum illum & lentum in scriptoribus legendis progressum, qui fere obtineat ob inertiam discipulorum & tarditatem, cui plerumque subveniendum sibi putent magistri, haud magno tamen consilii fructu & successu: seque adeo longe præcurrisse & ad finem properasse, cum præceptores hæssent adhuc cum discipulis in libri, qui forte legendus fuerit, initio. Ac commodissimum legendi proficiendique in litteris tempus omnino sibi fuisse dicebat in feriis scholasticis, quæ sunt in omnibus ejusmodi scholis, & debent esse, nec facile vituperantur, nisi ab iis, qui, quod ipsi olim in scholis commorantes, feriis illis vel nesciebant uti, vel nolebant, & propterea liberis suis bene consultum nunc iri putant, si omnis institutio scholastica ponatur in opere quotidiano eoque perfunctorio. Cujus tamen non alius solet esse fructus, quam ut discipulorum ingenia obtundantur, & animus præceptorum magis languescat in dies per hanc tam illiberalem vitæ sortem. Sed de ea re hoc loco plura dicere nihil attinet. De Ernestio dicere instituius, ad hunc igitur redimus.

Is igitur tam præclaris philologiæ bonis instructus in academiam se contulit Vitebergensem, anno hujus seculi sexto & vigesimo: Ibiq; ultra biennium fere commoratus est ita, ut operam daret in disciplinis quidem sacris WERNSDORFFIO & NEVMANNO, quos mire solebat laudare, & in philologicis BERGERO, qui cum illis, quos dixi, eo tempore sustentabat veterem illam hujus academix laudem & gloriam.

Sed cum illa ætate philosophiæ studium ex disciplina WOLFFII acerrimum esset, vigeretque maxime & celebraretur supra quam cogitari potest ab iis, qui hodie admirantur novorum doctorum in hoc genere virtutem & sapientiam, illius igitur philosophiæ cum tanta laus esset & studium; eam Ernestius cupide amplexus est, & magistrum adamavit SCHLOSSERVM, hominem eximia virtutis & multarum litterarum, qui tum cum HOLLMANNO, in ea academia, paulo ante quam hic noster BAVMEISTERVS scholas illic aperiret, istam philosophiam docebat & ornabat. Nec vero eam leviter attigit, ut multi, sed penitus cognoscendam putavit, legendis Wolffii, aliorumque ex ea disciplina, scriptis omnibus, iisque propemodum ediscendis. Defendit etiam, & tanquam pro aris & focis certavit, scribendo & disputando. Quare postea etiam,

etiam, refrigerato iam illo ad hanc rationem philosophandi fervore, cum in familiari sermone, aut in scholis, quas haberet, forte incidisset in illius temporis memoriam; mire delectabatur ea recordatione fitientis aviditatis suæ, qua in juvenili ætate illius philosophiæ præcepta haurienda sibi putarit. Quod utinam hodie vellent imitari adolescentes nostri in academiis, & alicujus certe philosophiæ præceptis cognoscendis ad aliquam disciplinæ formulam, usu paulatim assuescere illi constantiæ, & ut ita dicam, ordini systematico, quo sublato hominum vel præstantissimorum ingenia hinc inde feruntur, vagantur, fluctuantur in disputando & in gerendis rebus humanis. Ac Ernestius quidem sæpe solebat dicere, hanc esse logices aliarumque disciplinarum ad hanc rationem perceptarum vim & fructum, ut inde juvenes discerent res multas digerere (*) atque suo quamque ordine cogitare & loco proferre; quæ virtus haud exigua est & adhibenda quotidie, cum in vitæ usu, tum in rep. gerenda, & in docendi quidem provincia vel maxime. Neque vero is unquam postea improbavit eam philosophiam, cui operam dedisset juvenilibus in annis. Formam quidem paulo illiberaliorem & dicendi genus parum elegans, posteaquam se dedisset ad veterum philosophandi rationem, solebat interdum improbare: in rebus ipsis conveniebat ei cum Wolffianis. Quod satis, ut opinor, postea declaravit in illis philosophiæ elementis, sive solidioris doctrinæ initis, ad antiquorum elegantiam & ubertatem compositis. In quo de philosophia scribendi genere postea etiam consilii laudatorem habuit (***) hunc ipsum BAVMEISTERVM nostrum, æqualem suum & æmulatorem felicissimum, quippe qui illam severam ex Wolffii disciplina philosophandi rationem profecto unus omnium maxime mitigavit & temperavit, atque ingenii & antiquorum scriptorum condimentis exornavit.

Sed dum eius rei mentionem facio, sentio me paulo longius digressum esse ab illa commoratione Vitebergensi, ex qua superest, ut dicam de studio disciplinarum mathematicarum, quas mirifice coluit Ernestius, duce HASIO, & postea Lipsiæ, usus disciplina HAVSENI. Atque hujus artis amorem quandam & sollicitiam haud vulgarem retinuit usque ad senectutem. Solebat etiam illius studium diligenter commendare omnibus, qui in litteris, & omnino in rebus humanis ad aliquam virtutis laudem vellent aspirare.

Lipsiam igitur venit eo consilio, ut persequeretur hunc coeptum studiorum academicorum cursum, editisque postea iustis doctrinæ speciminibus, accingeret sese ad munus ecclesiasticorum rationes, quibus inde a primis pueritiæ an-

nis

(*) Im Kopffe aufräumen.

(**) Sub finem præfationis elementor. philos. recentioris.

nis sese destinarat, nec alia de causa magis assumerat illud humaniorum litterarum studium, quam ut adjumentum haberet Theologiæ bene discendæ atque docendæ. Receptus est ex commendatione Freitagii in domum Christ. Ludov. STIGLITII, viri vere magni, eo tempore consularis apud Lipsienses, & de eorum rep. meritissimi. Qui, cognita juvenis indole, doctrina, litteris & ingenio, primus eum hortatus est, ut in humanitatis litteras toto pectore incumberet, ac si forte Deus ita iuberet, earum in scholis doctrinæ se consecraret. Paruit Ernestius, atque hoc habuit initium illius tantæ laudis, tantæque magnitudinis, qua postea per quinquaginta fere annos floruit, summos paulatim honores cepit & lætissimos vidit atque exoptatissimos laborum fructus.

Namque anno hujus seculi trigesimo accidit, divina providentia rem ita gubernante, ut magni illius Stiglitii auspiciis Lipsiam evocaretur ad regendam scholam Thomanam Jo. MATTHIAS GESNERUS, bonarum litterarum eo tempore in Germania restaurator, eique anno sequente daretur collega Ernestius noster. Quem ut primum vidit Gesnerus, quindecim annis natu major, adolescentem & cum eo de litteris collocutus est, uti erat præclarus ingeniorum scrutator; sensit naturæ vim, & occulta quadam, sed divinitus instillata animorum consensione impulsus hominem ita adamavit, ut eum omnibus æqualibus præferret, & non solum in ea ipsa schola per tres annos cum eo viveret conjunctissime suavissimeque; sed postea etiam, cum abiisset Gottingam, per omnem reliquam vitam, amicitiam sanctissime coleret.

Atque hoc iam illud tempus est, quo, facto paulo ante ab eodem Gesnero rectus in scholis litteras humaniores docendi initio, nova huic litterarum generi lux affulsit, quæ deinde fama, meritis & scriptis Ernestianis, latius paulatim diffusa per Saxoniam & per omnem Germaniam, ad externos longissime propagata est, effecitque, ut & vera restaque disciplina restitueretur, & iustior de iis litteris sensus hominum animis imprimeretur.

Sed quoniam huc pervenimus, ubi dicendum nobis iam sit & demonstrandum, quibus institutis & meritis illa ingenii Ernestiani vis exseruerit sese & probaverit in humanitatis doctrina vel emendanda vel exornanda; id ipsum multo poterit illustrari facilius, si, exposito ante disciplinæ scholasticæ illorum temporum statu, eodem paulo post redibimus. Ac illius rei memoria etsi videtur paulo altius repetenda esse; paucis tamen comprehendetur, nec erit ab hoc loco aliena aut prorsus injucunda.

Bene & sapienter sic erat ante aliquot secula constitutum, ut puerilis juvenilisque disciplina maxime contineretur librorum veterum, græcorum & latinorum

norum, interpretatione, & per horum lectionem aditus hominibus fieret ad
 sapientiam, & ad bene dicendi ac scribendi intelligentiam atque facultatem.
 Atque hujus veteris disciplinæ auctores tum erant PHILIPPVS MELANCHTHON
 & JOACH. CAMERARIVS, quod facile patet ex eorum libris, illo tempore in
 usum scholarum editis. In qua re licet etiam observare miram similitudinem
 inter illos, quos dixi, duumviros & inter hos sanioris doctrinæ nostra ætate
 restauratores & sospitatores, GESNERVM dico & ERNESTIVM: ut si quis illo-
 rum legat facta atque instituta, paria horum cognoscat, neque rem ullam nisi
 tempus, interesse iudicet. Nam, ut ad illos revertar, Camerarium similiter
 & pari modo sibi adjunxit Philippus adiutorem & socium in illa bonarum lic-
 terarum restauratione, cum eum commendaret MAVRITIO, immortalis me-
 moriæ principi, efficeretque sua apud eum auctoritate & gratia, ut Mauritus
 Camerarium præficeret eidem scholæ Thomani, cui ducentis post annis
 præfuerunt Gesnerus & Ernestius. Camerarii igitur ingenio, doctrina & labo-
 re ita celeriter effloruere studia litterarum, ut tum Lipsia principatum in eo
 genere dubium redderet Vitebergæ, & Saxonia jam esset prima sedes, ut pu-
 ræ religionis, ita omnis doctrinæ & veræ eloquentiæ: unde aliæ scholæ atque
 academiæ peterent doctores bonarum artium, seque felices prædicarent, si
 disciplinæ vel Philippicæ, id quod tum etiam majoribus nostris contigit in
 hac urbe, vel Camerarianæ alumnum nancisci possent. Nam profecto nihil
 fuit uberius, nihil perfectius illa disciplina, ut mirum non sit, ex horum vi-
 rorum scholis, veluti e duobus montibus, uberrima veræ elegantisque doctri-
 næ flumina decurrisse per omnem Germaniam.

Verum hæc læticia, ut sit, parum fuit diuturna; nam felicissima quæque
 in rebus humanis plerumque solent esse brevissima. Namque ista tam cele-
 brata Philippica & Camerariana disciplina, paucis post annis, exeunte iam se-
 culo sexto & decimo & multo magis sub initium sequentis, ita fuit obscurata,
 ut, nisi ejus extarent vestigia libris impressa, funditus periisse videretur. Cu-
 jus mali causa fuit non modo in ingenii humani inconstantia; sed etiam in in-
 faustis illis certaminibus, quæ tum maxime de religione agitabantur in Saxo-
 nia. Quo factum est, ut illa tam præclara humanitatis studia labefactata &
 præcipitata diu iacerent, nec in tanto temporis intervallo facile possent eniti
 ad illum, quem paulo ante obtinuerant gradum. Sic paulatim rediit rursus
 magna pars pristinæ barbariæ in academias & scholas. Regnabat enim fere
 ubique & dominabatur Aristoteles male intellectus & infaustum pristinæ phi-
 losophiæ scholasticæ studium. Græci romanique scriptores vel negligebantur,
 vel parum apte in scholis legebantur; nec adeo poterant proferre illos veræ
 elo-

eloquentiæ fructus, quos viderat illa ætas superior. Quod satis apparet ex latini sermonis usu in ejus ætatis libris, auctorum sordes & squalorem referentibus.

Ac mihi quidem sæpenumero, historiæ scholasticæ cognoscendæ causa, animo perlustranti totum illud superioris seculi spatium, præter Frider. TAVB-MANNVM (cujus tamen celeriter extincti non adeo multa, nec satis magna extant merita in hoc litterarum genus) unus occurrit Christoph. CELLARIUS, vir meliori ævo & majori temporum felicitate dignus, vere doctus & disertus, &, vel docendo, vel scribendo, vel denique edendis scriptoribus latinis & græcis nonnullis, per alteram superioris seculi partem, de vera reâque in scholis litterarum disciplina præclare meritus. Nec tamen satis prosperos successus habuere Cellarii conatus, uti opinor, propterea, quod propemodum solus moliebatur tantum opus, nec adiutorem habebat & socium. Nam qui tum erant magni viri, eruditi & clari, veluti CONRINGIUS, SAGITTARIUS, Caspari filius, PUFFENDORFFII, MORHOPIUS & SCHVURZFLEISCHIVS, ii vel fastidiebant Herculeum illum stabuli scholastici expurgandi laborem, vel aliis artibus & litteris malebant inclarescere. Veluti ille ipse SCHVURZFLEISCHIVS, qui post parvi temporis moram in schola Corbacensi, cui præerat, miseriarum scholasticarum tædio captus, clam & intempesta nocte abiit, testatus paucis tabulæ verbis inscriptis: hanc scholam se non capere. Nec tamen postea rediit usquam ad illud in scholis docendi opus alibi agendum: sed maluit agere Polyhistorem, cujus doctrinæ generis tum magna laus erat.

Ex his igitur facile iam intelligitur, quid causæ fuerit, quare elegantior bonarum litterarum doctrina illis temporibus nondum potuerit emergere ex illis tenebris scholasticis. Scilicet LEIBNITIO reservatum id erat & Christ. THOMASIO, longe illis quidem inter se diversis & ingenio & studiorum ratione, iisdemque etiam, in suo cujusque genere, longe alia agentibus, nec fortasse de elegantiori in scholis doctrina restauranda unquam cogitantibus; his, inquam, reservatum erat, alteri quidem ridendo, alteri graviter docendo, tantam facere animorum & propemodum omnium rerum humanarum, per Germaniam quidem, conversionem, ut ingenia paulatim quasi ex aliquo diuturno sopore expergiscerentur, abjectisque denuo philosophiæ scholasticæ & orationis male latinæ vinculis, inciperent libere cogitare & patrio etiam sermone velle philosophari & dicendi laudem tentare.

Ac tum quidem, & imprimis hoc ipso seculo ineunte, factum jam est, in his terris & alibi, discidium aliquod disciplinæ scholasticæ: cum alii in scholis

Z6 735 I AK X 291 6850
8
scholis magistri vel sequerentur Christianum WEISVVM, iique vernaculi ser-
monis argutiis, & ludicris magis quam veræ eloquentiæ inservientes: alii co-
narentur servare receptam in scholis docendi rationem, eamque, quantum
fieri posset, temperare & ad novum seculi genium accommodare. Sed ho-
rum quidem erat eo tempore paulo difficilior conditio atque iniquior, nec
ipsorum disciplina iam satis hominibus grata & accepta. Quanquam in hac
quidem urbe, qui tum viverent, satis videbantur felices, quod haberent SAM-
MVELEM GROSSERVVM, virum excellenti prudentia & virtute prædicum, in-
genioque præclaro & multarum litterarum scientia instructum. Magna etiam
doctrinæ laude florebat eo tempore Godofredus VOCKERODT, Gymnasi Göt-
thani Rector & hujus BAVMEISTERI nostri præceptor, severæ & antiquæ leg-
is in litteris proficiendi, si quisquam alius, vindex acerrimus. Cujus tamen
libris & consiliis, ipsique etiam hominis severitati in exigendis scribendi exer-
citationibus, plus se debere profiteretur hic noster, quam reliquæ illius insti-
tutioni; præsertim cum postea eloquentiæ omnisque elegantioris doctrinæ
magistrum Vitebergæ habuerit eundem illum magnum BERGERVM, Ernestii,
æqualis sui, præceptorem.

Solennia Gehleriana castino die hora IX. in auditorio primi or-
dinis celebrabuntur. Orationes mecum habebunt ex sodalibus
chori Symphon.

CHRISTIANVS GODOFREDVS GRVENDLING, Gorl.

JO. GOTTLÖB SCHOENFELDER, Cemliz.

GODOFREDVS MAYER, Hennersdorff.


Eas orationes ut MAGNIFICVS & AMPLISSIMVS REIP. SE-
NATVS, REVERENDI MINISTERII SACERDOTES, CLA-
RISSIMI GYMNASII MAGISTRI & COLLEGAE, CETERI-
QUE REI SCHOLASTICAE FAVTORES benigne velint au-
dire, submisse observanterque rogamus.

P. P. d. 3. Dec. 1782.



1018

M. C.



B.I.G.

Z 6
735

inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

AD
I GEHLERI
EMORIAM

(1)

DEC. MDCCLXXXII.
ASIO RECOLENDAM
INVITAT

DERICVS NEVMANNVS
GYMN. CONR.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



Praemittitur
jusque meritis, cum in humanitatis litteras, tum in
um in scholis disciplinam:
quae Superiori anno habita est,

Particula 1.

GORLICH,
NA FICKELSHERERIANA.